

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici  
hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent,  
vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorvm Evangelicorvm D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in  
Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In  
Sacrosanctum Euangeliū secundūm Ioannem

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

Cap. 14.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39480**

hic locus non sine causa Caluini animum male vexauit, ut  
aliquid extra rem impotenter effundere debuerit.

## IN IOANNIS CAP. XIII.

## 1. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

**O**MNIS est & consentiens omnium veterum <sup>Meritorū</sup> Patrum doctrina, Christum hoc loco mansionum & gloria æternæ beatitudinis non multitudinem tantum, sed <sup>disparitas.</sup> diuersitatem docere: ut sicut meritorum in hac vita imparitas magna est, aliisque alio coram Deo iustior ac sanctior inueniuntur, sic præmiorum magna quoque in cælo imparitas ac diuersitas reperiatur. Patrum quorundam sententias integras in Prompt. nostro Catholico produximus, D. Augustini tract. 67. in hunc locū, D. Hieronymi lib. 2. contra Iouinianum, Gregorij Magni Moral. lib. 4. cap. vlt. & lib. vlt. cap. 24. & dialog. lib. 4. cap. 35. Accedunt ad illos & alij Patres. Irenæus affirmans sic esse multis mansiones apud Patrem, Lib. 2. sicut sunt multa membra in corpore: quorum magnam esse cap. 21. diuersitatem nemo dubitat. Hilarius his verbis. Plures man-<sup>In Psal. 64</sup>siones diuersæ dignitati habitantium præparantur. Sed licet diuersa sit dignitas (differt enim stella stella in gloria) tamen quotquot habitationibus (varijs licet) digni habebuntur, fidei fructum & honorem cælestis glorie sortientur. D. Basilius in hæc <sup>In lib. de</sup> verba. In splendoribus Sanctorum mansiones multæ sunt apud Spiritu S. Patrem, hoc est, dignitatis discrimina. Sicut enim stella à stella <sup>cap. 16.</sup> differt in claritate, ita & resurreccio mortuorum. Sed & iterum <sup>In lib. de</sup> D. Augustinus acerrimè contra Iouinianum disputans, qui d. virgin. disparitatem meritorum in coniugio & virginitate negabat, cap. 16. ex hoc loco pugnat. Quia in ipsa vita eterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impari non viuet alius prolixius in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius. Hæc rursus ille. Iam vero omnes hos Patres ex alto despiciens Caluinus ita scribit. Perperam tractus hic locus fuit in alium sensum, quasi doceret Christus distinctos esse honoris gra-<sup>Caluini</sup> dus in regno cælesti. Sed quare perperam? Multas enim (inquit) friuola mansiones dicit Christus, non varias aut dispare, sed que plu-<sup>friuola</sup> ribus sufficient: ac si diceret, non sibi uni, sed omnibus etiam <sup>probatio</sup> contra Pa- discipulis locum illic esse. Atqui hæc obseruatio friuola plane <sup>trum con-</sup> atque inanis est. Nam, ut rectè disputat D. Gregorius, si dispar sensum.

**Dialog.** retributio in illa beatitudine non esset, una potius mansio quam  
lib. 4. c. 35. multæ essent. Mansio quippe cœlestis non locum circumscri-  
ptum quo veluti certo ac definito animæ & corpora beato-  
rum concludantur, sed requiem & gloriam beatis prepara-  
tam denotat. Hæc gloria quum non yna sit, sed multæ variæ  
quoque & dispar necessariò erit. Sed & ipsa Caluini exposi-  
tio hanc disparitatem probat. Quum enim idcirco multæ  
esse mansiones Christus dixerit, vt doceret non sibi unius  
*omnibus etiam discipulis locum illuc esse*, Christi autem man-  
sionem à discipulorum mansionibus magna disparitate dif-  
ferre negati non possit, necessariò hæc multæ mansiones di-  
spares quoque & diuersas significare debent. Ita Calvinica  
villatio tot Patrum consentienti expositioni præpondet  
non potest.

Mitetur fortè quispiam, cur ita proterè doctissimi Pa-  
tribus obſistat Calvinus, vt ab illis omnibus periperat hoc  
locum tractum affirmet. Vedit doctrinam meritorum & iu-  
sticiam ac retributionem honorū operum ex hoc loco Iona  
Patiens intellecto necessariò stabiliri, suam autem imputa-  
tum iustitiam (quæ nullam disparem retributionem patitur,  
quum Christi iustitia omnibus æqualiter imputetur) peni-  
tus subuerti. Hac de causa ausus fuit communem Patrum  
expositionem reiicere, & vnum suum friuolum argumen-  
tum omnium illorum iudicio anteponere. Hæc eius in-  
lentia ac improbitas est,

3. *Etsi abiiero, & præparauero vobis locum, item  
veniam, & accipiam vos ad meipsum.*

**Limbus**  
Patrum  
contra Cal-  
vinum de-  
fenditur.

**Heb. 9.**

**H**oc ierum loco veterum Patrum sententiam ac fidem  
taxat Calvinus. Quum enim Christus hic doceat se-  
deundo ad Patrem per corporis sui ascensionem & glorifica-  
tionem, parare suis omnibus locū, quo & illi ad Patrem cor-  
respondent, & cœlesti gloria fruantur, patetur autem hic loco  
Christo glorificato, quia ille omnibus ianuam cœli aperi-  
quod ante eum glorificatū nulla beata anima ingredi posse  
quia (vt Calvinus hic agnoscit) ille unicus heres cœli papa-  
nem nostro nomine adiit, vt per ipsum accessus nobis patet.  
vt Apostolus docet, antequam Christus ingredetur iuxta  
sanctorum, nondum propalata erat sanctorum via, mœnia  
questionem Calvinus, & ait. Exoritur ramen quassio, quale  
fuerit Patrum veteris testamentii conditio post mortem, que

quam Christus in cœlū ascenderet. Vulgo enim colligunt, fideles animas in limbo fuisse inclusas: quia dicat Christus suo in cœlū ascensu paratum iri locum. Vera est hæc collectio, & cōmunis Catholicae Ecclesiæ & veterū Patrum sententia, ut alibi contra Caluinum ostendimus. Sed displicet illa huic nouatori, & collectionem firmissimā infirmare conatur. Sed responso (in <sup>In Prōpt.</sup> cath. parte quis) facilis est, quod locus hic parari dicatur in diem resurrec<sup>Quadrage-</sup>  
tions. At hæc responso nulla est. Christus quippe in diem resurrectionis parat beatis locum quoad corporum glorificationem. Animas tamē interea Dei visione frui post Christi ascensum, qua visione veteris testamenti Patres defuncti non fruebantur, huiusmodi præparationi non repugnat. Vnum igitur ex altero infirmari non potest, & quod concludit Calvini, utrisq; pariter, tam Patribus olim defunctis quam iustis post Christi ascensionem ad alterā vitam translatis, Christum parare locum in quem extremo die omnes recipiet, huic discrimini nihil obsistit, quo dicitur, Christo in cœlū assumpto iustorum animas tam veterum Patrum quam aliorum post Christum in cœlum assumi, & Dei visione frui, sed ante Christum in cœlum assumptum Patrum animas in limbo detentas, & Dei visione in cœlesti gloria needum gauisas fuisse. Quæritur igitur à Caluino, quo tandem loco erant Patrum veteris testamenti animæ ante Christum glorificatum, postquam nec in cœlo fuisse faretur ipse, nec in limbo fuisse cum Ecclesia Catholica fateri vult? Vdit hoc ab ipso necessariò quærendum. Ait igitur. Ante reconciliationem peractam fides animæ, velut in specula, erant intentæ ad redemptionem promissam: & nunc beata quiete fruuntur, usq; dum compleatur redemptio. Erant (inquit) intentæ ad redemptionem promis<sup>Caluini</sup> sam velut in specula. Verum quidem hoc est, sed ubi, in quo proterua loco, in quibus receptaculis erant? Neque enim nusquam reuincentur erant, si erant. Nec infinitæ sunt animæ, sicuti Deus est, ut ideò ubique sint. Perpende igitur, lector Christiane, Caluini peruvicaciam. Agnoscit animas fideles nunc quidem beata quiete frui, usque dum compleatur redemptio, per corporum glorificationem: ante reconciliationem autem à Christo peractam, ad redemptionem promissam fuisse intentas, & illas veluti in specula expectasse: quod totum Catholica agnoscit Ecclesia. Sed in certo receptaculo, quod limbum Patrum vocavit antiquitas, illas hanc redemptionem expectasse proterè negat. Ita nec locum ipse designat, nec agnatum ab Ecclesia locum recipit. Hæc est meta hominis

improbi protervia, & contradicendi libido. Idecirco autem limbum Patrum negat Caluinus, negant & alij hodie heterici, ne præter cœlum & damnatorum infelitum, medium aliquem locum, qualis purgatorius nunc locus est, agnoscere cogantur. Quām autem protervè & insulsè Caluinus id faciat, hic vñus locus ad oculum demonstrat.

12. Maiora horum faciet.

*Opera ma-  
jora per  
Christianos  
quam per  
Christum  
quomodo.*

**V**aria redditur à sacris Doctoribus huius promissionis expositio. Origenes homil. 7. in Numeros ideo per Apostolos, alijsque Sanctos maiora facta esse opera quam Christus ipse fecit, exponit, quia plus est Christum per alios mundum & Diabolum vincere quam per seipsum. Vincit autem per alios, quando per eius gratiam spiritualia sunt operibus Dei, quibus caro, mundus, Diabolus vincuntur. Haec expositione non videtur literalis, quia comparatio Christi circa eum generis opera versari debet. Loquitur autem de suis miraculosis operibus, quorum maiora per alios facienda predicti. Eadem ex causa nec illa expositio ad literam erit quam idem tradit Origenes homil. 6. in Esaiam, & similiter S. Augustinus tract. 72. in hunc locum, videlicet quod per maiora opera intelligatur conuersio Gentium & totius mundi facta per Apostolos, quum Christus nisi paucos Iudeos conuerteret. Hæc enim conuersio effectus potius est operum miraculorum, quam opus per se tale, nec comparatio Christi de eo genere loquitur. Tertia est magis ad sensum Christi, quid idem quoque tradit S. August. loco citato, & Chrysostom. 12. in Acta, quod quædam miracula Sancti fecerunt in fide Christi maiora quibusdam miraculis à Christo factis: ut quod Petri umbra sanavit infirmos, maius videtur quam quod tactu simbriæ Christus sanavit, quo exemplo Chrysostom. Nec enim generalis hæc promissio est, vel de omnibus miraculis, sed de quibusdam; nec de omnibus Sanctis, sed de quibusdam, quum ad fidem Christi comprobandum (qui sicut et miraculorum) sufficiat in eius nomine quædam à quibusdam maiora fieri miracula quam ille aliquando fecit. Caluinus si totius mundi conuersionem hanc promissionem refert, illud facere nec solis Apostolis nec singulis piis communice sed ad totum Ecclesiæ corpus spectet. Atqui in conuersationis mundi, totum Ecclesiæ corpus nihil facit, sed fieri potius, ædificatur, colligitur. Ergo illud facere non potest alius.

*Caluinii  
sensus re-  
felliatur.*



autem  
e hanc  
medium  
noscere  
s id fa  
totum Ecclesiæ corpus, quatenus in fidem colligitur, spectare, sed ad quosdam pertinere debet, qui opera maiora faciunt quām Christus aliquando fecit. Frustra Calvinus nouellum hoc glossema adiuenit, ne aliquid à suis maioribus didicisse videatur.

15. *Si diligis me, mandata mea seruare.*
21. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.*
23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*
24. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.*

**C**hristus Redemptor Apostolos propter magistri sui recessum, quem iam eis prædixerat, ex eiusdem amore vehementer contristatos, serio & subinde monet, ut hunc in eum amorem alio conuertant; ut non de eius recessu tristetur, sed de eius seruandis mandatis, quæ tam multa eis dederat, solicieti essent. Sic enim deum fore, ut suam in eum dilectionem ostenderet & comprobarent: ut illi vicissim à Deo Patre atque ab ipso diligantur: ut ipse quoque post recessum suum adhuc seipsum eis manifestaret, sive post mortem reddiuum; sive per gratiæ spiritualis perfectionem, sive denique per gloriæ manifestationem in beata vita. Denique ut tam ille quām Pater non tantum ad eos, sed ad omnes qui eū diligenter, & mandata eius seruarent, venirent, & mansiones suas apud eos facerent: quod postremum quantum valeat, in Prompt. nostro Cätholico latius olim diximus. In hac tota oratione partim charitatis vim, virtutem, efficaciam (quæ vi- delicec facit seruari mandata) partim obseruationis manda-

*Charitatis  
efficacia &  
utilitas.*

1.  
2.  
3.  
4.

*In festo  
Ascens.  
Domini.*

obediri Euangelio, quum officia nostra & externa actiones ex Christi amore nascuntur. Hæc tamen si totam Christisensiam plenè non referant, (docet enim Christus, sine dilectione seruari mandata non posse, vt ver. 24. aperte loquitur, & illam demum diligere qui seruat eius mandata, ver. 21. vt mandatorum obseruatio dilectionem Dei necessariò consequatur) veram tamen sententiam habent.

Cæterum ne hæc veritas Euangelica suum fructum relinat, ne charitatis & obseruationis mandatorum existimatio lectoris animum occupet, denique ne quid detrimenti caput sola fides iustificans, occurrit quam primum Caluinus, & luberrimam hæc doctrinam suo veneno asperso inutilem tradidit. Iam (inquit) quum certum sit nos seruare Christi precepta, quatenus ipsum amamus, sequitur nullibi posse reperiendum perfectum eius. amorem: quia nemo est qui perfec<sup>t</sup>erat eius mandata. Totam Christi doctrinam inuertit & detracit. Ponit Christus, quod verum erat, se ab Apostolis suis diligenter & ab aliis postea in eum credituris diligendum fore. Hoc mandatorum in cordibus suorum per Spiritus sui gratiam effectum erat, non solum fide purificans corda eorum, sed & diffusa caritate in cordibus eorum per Spiritum Sanctum quem datus erat. Iam huius dilectionis hunc esse fructum, hoc argumentum, hanc vim ac virtutem fore dicit, vt qui eum diligunt, mandata eius seruant. Sic ex dilectione, quam certissime presupponit Christus, mandatorum suorum obseruationem inferit atque concludit. Inuertit Christi argumentum Calvini: Tu ex dilectione Dei mandatorum obseruationem concludis. At ego probo nullam esse talem dilectionem, quia nulla est mandatorum obseruatio. Nulla, inquam, est perfecta mandatorum obseruatio; ergo nullus est perfectus amor. Aut igitur de perfecta hic mandatorum obseruatione logoris, vt amorem quoque perfectum presupponas, & sic exprimitur posterius destruc: aut de imperfecta mandatorum obseruatione disputas, vt amorem quoque non nisi imperfectum quendam presupponas, & sic mandatorum obseruatio, quam hoc doces, vera non erit. Non enim verè lex mandatorum servatur, nisi tota & perfectè seruetur. Hæc est Calvini contra Christum disputatio. Verba Christi de perfecta dilectione perfecta mandatorum obseruatione exponit, qualēm videlicet ipse sibi finxit, nemini in hac vita possibilem: quod illud in locis explicatum dedimus. Illa prima astutia est, viaclusa perfectæ obseruationis possibilitate, totam quoque possit.

Christi do-  
ctrinam  
Calvinus  
euertit.

Act. 15.  
Rom. 5.

Calvini cō-  
tra Chri-  
stum di-  
sputatio.

possibilem obseruationem, ut rem ad salutem nec necessariam nec utilem, pariter excludat. Tum Christi consequentiam euertit ex destructione consequentis. Dicente Christo: *Si quis diligat, seruat mandata, resistit Caluinus: Nemo seruat mandata; ergo nemo diligit. Nequitia hæc & impietas est cum summa stoliditate coniuncta. Quid enim stolidius, quam, ut argumentum eludas, conclusionem negare? Quid magis impium, quam, quod Christus ex altero concludit, falsitatis arguere? Concludit & colligit Christus ex dilectione Dei, mandatorum Dei obseruationem. Negat hanc posteriorem Caluinus; Christumque falsitatis arguit, ut collectionem Christi infirmer. Postquam Christi collectio Caluino displicuit, medium probationis negandum erat, non ipsa conclusio. Sublato quippe probationis medio, deficit conclusio, non econtra. Hæc est hoc loco Caluinij & stoliditas, & impietas maxima.*

*Caluin&  
maxima  
impietas  
& stolidi-  
tas.*

Sed quid tandem Caluinij iudicio docebit huc Christus, si mandatorum Dei obseruationem non docet; aut si talis nulla est: *Gratum tamen (inquit) Deo est eorum obsequium qui ad hunc scopum vero conatu aspirant. Hoc est totum quod à Christo his verbis doceri Caluinus patitur, conatum quendam ad Dei mandara obseruanda, non ipsam mandatorum obseruationem. Atqui Christes non dixit, Si diligitis me, verum co-* *Christi ver-*  
*natum habete, ut mandata mea seruetis; sed dicit, Si diligitis me, contra* *Caluinij*  
*me, mandata mea seruate. Rursum non dicit, Qui verum co-* *Caluinij*  
*natum habet seruandi mandata mea, ille est qui diligit me; fermenta.*  
*Qui habet mandata mea, & seruat ea, id est, ut ipse-*  
*met hoc loco exponit Caluinus, qui in mandatis meis recte est*  
*institutus; qui se & vitam format ad eorum regulam, ille est*  
*qui diligit me. Adhuc itetum Christus non dicit, Si quis dili-*  
*git me, verum conatum habebit seruandi sermonem meum;*  
*sed dicit, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. In omni-*  
*bus suis verbis Christus ipsum opus prædicat, non conatum,*  
*ipsam obseruationem, non obseruandi studium, denique actū*  
*ipsum & effectum, non desiderium inefficax, quale Caluinus*  
*ponit. Nos igitur Christi verbis credimus, non fermento*  
*Caluinij verba Christi tenemus, non commenta & traditio-*  
*nes Caluinianas. Perperum est autem hoc Caluinij com-*  
*mentum & fermentum, ut opera destruat, conatum ineffica-*  
*cem substituit, ut ipsam mandatorum obseruationem tollat,*  
*desideria boni, quæ effectum non sortiuntur, supponit: quod*  
*in epist. ad Rom. clarius elucesceret.*

*In cap. 7.*

○ 5



Sed & alia Christi verba hoc loco non de vero tantum contnuat, sed de ipsa mandatorum vera obseruatione & adimpletione Christum loqui iuxta ipsius Caluinii interpretationem docent. Quod enim Christus inter hæc verba dixit, Egredi ab Patre, & alium Paracletum dabit vobis, ut apud vos maneat in eternum, hoc de spirituali gratia, quæ facit seruam mandata, exponit Caluinus. Sic enim ad illa verba sectione Promittit Christus se præceptis seruandis vires daturum. Nam alioquis parum efficax fuisset exhortatio, qua dixit, Mandata mea seruare. Ergo in tempore occurrit, docetque, ut ab illis corpore, non tamen se passurum ut auxilio desistit, sed quia per Spiritum suum illis aderit. Ecce agnoscit Spiritus Sanctus credentibus à Christo promitti, ut det vires præceptis seruandis & futuram alioqui Christi exhortationem efficacem. Seruantur igitur de facto per has vires gratias Dei mandata, & efficax est illa Christi exhortatio: Si diligim me, seruare mandata mea. Non est tantum in credentibus verus conatus, quo aspirant ad obseruationem mandatorum, sed est in illis verus effectus ipsius obseruationis. Hæc Caluinus confessio ad ipsum Caluinum refutandum satis efficax est, & principale eius dogma de obseruatione mandatorum impossibili efficaciter subvertit. Ad quod enim præstandum vides accepimus, illud nobis impossibile non est: & quum ad fieri exhortatio efficax est, illud profectò sic ad quod exhortatio prouocat. Sed magistri mendaces mendaciorum suorum parum sunt memoræ.

Est adhuc aliud quod ex his Christi verbis cauillandi Caluinio causam dare potuit. Dicit Christus, Qui diligit me, sergetur à Patre meo: & rursus, Si quis diligit me, Pater meus diligit eum. Ad hæc verba Caluinus. Perperam ex hoc loco dicunt Papistæ duplē amorem quo Deum prosequimur. Fingunt Deum naturaliter à nobis diligiri, priusquam nos Spiritu suo regeneremus: & hac etiam præparatione nos mereri regenerationis gratiam. Hæc ille. Dupli mendacio Catholicam detinam grauatur. Falsum est, duplē amorem, quorum alter sit naturalis, ex hoc loco Catholicos colligere; quum nemini dubium sit de illa sola dilectione Christum hic loqui, quæ Dei donum sit, quæ sola facit seruare mandata, quæ sola filios Dei, quæ sola causa est ut semel dilecti magis à Deo diligamus, quatenus huius dilectionis beneficio Dei mandata seruantes ad maiorem erga nos dilectionem, ad maiora & inpliora gratiarum beneficia nobis cōferenda Deum prouocamus.

*Caluinus duplex mendacio.*



Hæc est Catholicorum interpretum hoc loco sententia. Naturalem quandam Dei dilectionem, ut est author naturæ, & Naturalè quatenus per ea quæ facta sunt naturaliter cognosci potest, Dei dilectionem in non regeneratis agnoscunt Catholicæ Doctores: sed ex hoc loco eam non colligunt: neque de naturali dilectione Christum hic loqui ulli exponunt. Iam verò dicere Catholicos quod huius naturalis dilectionis præparatione metemur gratiam regenerationis, mendacium quoque est multò luculentius. Proptium hoc erat Pelagi dogma, mereri hominem primam gratiam, quia prius homo naturaliter Deum diligit & colit. Ut hujusmodi absurdâ atque impia Catholicis impingeret Caluinus, authorem proferre debuit, saltem ex tam innumeris vnum. Sed dolosus versatur in generalibus: & solempne hoc improbis ac maledicis est, ut in genere arguât, quum in specie probare non possunt. Est & istud Caluinianæ toxicæ una dosis apud illum satis frequens ac vulgaris. Cauet emptor, ne apud talem pharmaceutum medicamenta querat.

26. Ille docebit vos omnia, & suggesteret vobis omnia  
quæcumque dixerim vobis.

**D**Vplex hîc Spiritus sancti officium à Christo designatur. Vnum docendi in perpetuum omnia quæ ad Ecclesiæ edificationem & instructionem faciunt: alterum ad ea fiduciam dā suggestenda atque in memoriam reuocanda quæ Christus plexus viua voce docuerat. Qualia in hoc Euangeliō suo quædam D. Ioannes annotauit. De Christo super pullū asinæ sedente: Hac non agnouerunt discipuli eius primum; sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia hac scripta erant de eo, & hac fecerunt ei. Recordati sunt Spiritu sancto suggestente. Rursum, de Christi resurrectione à mortuis, quam toties eos docuerat. Nondum sciebant Scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere. Posterius hoc officium agnoscit Caluinus, prius negat; quia illud prius ad hoc posterius restringi vult, ut Spiritus sanctus sicut illa suggestit quæ Christus dixerat, in memoriam reuocando, sic & illa doceat quæ Christus docuerat, eadem reperendo, & eorum intelligentiam submittendis. Illa (inquit) restrictio attentè notanda est, ubi pars Spiritus sancti mutatur. Sed hæc restrictio in Caluni cerebro nata est, in Christi verbis non inuenitur. Neque enim dicit Christus, Non docebit vos alia, vel non suggesteret vobis alia quæ ego ore restringit.

VOS



vos autem docui. Non sic Christus loquitur, ut iuxta Calvini restrictionem loqui debuit. *Docebit quidem omnia* ( ait Christus ) & *suggeret quaecunque vobis dixi*. Non dicit, *Docebit illa sola & suggeret illa sola quaecunque dixi*. Omnis homo currit: & , Solus homo currit, longè diuersam significationem adferunt: verum illud, falsum hoc. *Observa* ( inquit ) *quānam sint illa omnia quorum doctorem fore Spiritum praeditum*. Suggeret, inquit, vel reducet in memoriam quaecunque dicit. Vnde sequitur non fore nouarum reuelationum architectum. Vana & futilis est hæc consequentia; quia suggeret quidem illa omnia, sed non illa sola. Annon vero clarissimis verbis paulo post Christus hoc ipsum docuit? *Multa* ( inquit ) *vobis dicere quæ non potestis portare modo*. Cum autem vobis ille Spiritus veritatis, quem mittet Pater in nomine meo, docabit vos omnem veritatem. Annon apertissime docet scholasticus omnia quæ dicenda erant, ore proprio non dixisset? non apertissime addit, ea quæ ipse ore proprio non dixisset? Spiritum sanctum docturū, quia omnem docebit veritatem quam ille omnem adhuc non docuerat, quia omnem posset & cum fructu audire discipuli necdum poterant? Anno denique commentitiam Calvini restrictionem Christus sole verbis clarissimis refellit? Deinde si ad hoc restringatur *Solitus sancti officium*, ut non nisi ea suggerat quæ Christus prius ore docuit: aut ostendendum est ubi Christus ore docuit, abstinentendum esse ab immolatis simulacrorum, & sanguinis & suffocato: aut dicendum mentitos esse Apostolos, qui mandatum illud promulgantes dixerunt, *Visum est spiritu sancto & nobis*: aut denique in illo mandato Apostolis suggestione officij sui limites & restrictionem datam veluti nouarum reuelationum architectus excessit Spiritus sanctus. Tunc quum Apostolus de vidua dixit, *Beator erit si sic permanferit secundum meum consilium*; puto autem quod & *Spiritu Dei habeam*: aut ostendendum ubi Christus hoc non docuit, aut dicendum à Spiritu Dei Paulum hoc non dictisse, aut denique in tali doctrina Paulum suggesta officij limites Spiritum sanctum veluti nouarum reuelationum architectum excessisse. Idem de innumeris D. Pauli & reliquo Apostolorum sententiis à Spiritu sancto suggestis in epistolis suis Canonice ad Ecclesiæ Dei conscriptis, quæ nihil Christū ore proprio docuisse constat ( maximè in libro Calvini & aliorum hereticorum, qui quæcunque Christus ab omnibus credenda docuit, à quatuor Euangelistis certe

Cap. 16.

Att. 15.

2. Cor. 7.

prehensa esse volunt) dici & concludi potest.

Quæ omnia quum tam liquida & manifesta veritate sub-  
sistant, vide tamen quid ex suo figmento & quanta audacia Caluini  
concludat Caluinus. Hoc uno (inquit) verbo refutare licet <sup>Audax</sup> <sup>Caluini</sup> <sup>impietas</sup>  
quæcunque sub praetextu Spiritus in Ecclesia figura ab initio  
huc usque Satan inuexit. Ergo & eodem verbo refutare li-  
cer quæcunque Apostoli ipsi (locis à me citatis) auctore  
Spiritu sancto Ecclesiarum documenta tradiderunt. Eodem  
quoque verbo omnia veterum Conciliorum decreta refuta-  
re licer, quæcunque totius Christiani orbis Episcopi auctore  
Spiritu sancto contra veteres haereses definierunt. Illa omnia  
nominatim reiicienda sunt fidei vocabula, Christi ore nun-  
quam proleta, sed in Conciliis auctore Spiritu sancto defi-  
nita: Trinitas personarum in una natura diuina: Tres hypo-  
stases: Filius Dei Christus Patri consubstantialis: Spiritum  
sanctum procedere à Filio: Duas esse naturas in una persona  
Christi. Et sanè non desunt hodie haeretici, qui ex his Caluini  
principiis illa omnia cum veteribus haereticis negant & reii-  
ciunt penitus, non secus quam posteriorum Conciliorum de-  
creta & vocabula recepta, Transubstantiam, & huius-  
modi, procaciter Caluinistæ reiiciunt. Ad Atheismum quip-  
pe, totiusque Christianæ religionis interitum, impij Caluini  
principia ducunt.

Nefariis istis suis collectionibus atrocem calumniam sub-  
textit. Mahometes & Papa commune habent religionis princi-  
pium: Non contineri in Scriptura perfectionem doctrine, sed  
quiddam altius reuelatum esse à Spiritu. Addere debuit Cal-  
uinus: Mahometes & Papa & Apostoli & Paulus, commune  
habent religionis principium, non contineri in Scriptura do-  
ctrinæ perfectionem, sed quiddam altius reuelatum esse à  
Spiritū. At hoc si fecisset, eius blasphemæ vox statim reiice-  
retur. Iam enim ostendimus iuxta Apostolos & Paulum non  
omnia contineri in Scriptura, sed quædam illis à Spiritu esse  
reuelata. Quod autem Caluinus scripsit, Papa principium esse, Mendaciū  
quiddam alius reuelari à Spiritu, schema Caluinianum est, Caluini  
purum mendacium, & solemnis illi obiecti criminis exagge- infame &  
ratio. Non enim aliquid altius reuelari à Spiritu quam ha- insulsum.  
bet Scriptura aliquis docet Papa, aut usquam docent Catho-  
lici; sed aliquid aliud reuelari à Spiritu quod nec Christus  
ore docuit, nec habet Scriptura, docet Papa; docent Patres  
Ecclesiae Christianæ vetustissimi & doctissimi; docet tota  
Ecclesia Catholica; docuerunt suo exemplo Apostoli; docuit  
Pau

*Ioan. 16.* Paulus; docuit denique id futurum Christus ipse in verbis citatis. Cæterum eiusdem esse altitudinis & excellētiae quod docet Scriptura, & quod docet Spiritus; vel quod ore docuit Christus, & quod postea docuit Spiritus sanctus ipse Christus nos docuit, dicens de Spiritu sancto. *Ille de meo accipiet, & annunciat vobis.* Sed & quæstio ipsa inter Catholicos & hereticos hodie de perfectione Scripturæ, non in eo versatur, an aliquid aliud reueletur a Spiritu quam in Scriptura continetur, sed an aliquid aliud doceat Ecclesiam Spiritus sanctus quam in Scriptura continetur. Adeò nihil quam fallit ac mentitur Calvinus.

*Caluini artificium.* Iam quod Mahometem in hac causa Papæ adiungit Calvinus, alterum est schema Caluinianum, purum mendacium, & obiecti crimini furoris aggrauatio. *Quis enim nescit Mahometem adeò Spiritus sancti reuelationes Scripturæ non anteponere, ut virtutumque pro fabulis habeat?* Sed hoc est artificium Caluinianum, Dei & diaboli ministros connectere, ut qui diaboli ministrum exhortet, Dei quoque ministrum fugiat. Sancti Mahometes & Calvinus quam communia habent religionis principia, facile intelliget qui Analysis religionis Caluinianæ à doctissimo viro D. Gulielmo Reginaldo elaboratam inspicerit. Homo impius, sui sibi forte Mahometismi conscius, idem sacrilegium in Papam reiicere voluit.

Adiungit codem schemate Anabaptistas & Libertinos qui de Spiritu gloriantur. At ille spiritus, priuatus spiritus est, ideoque impostor, qui nihil commune habet cum Spiritu Dei, qui per os Ecclesiæ loquitur: quando non nisi Ecclesia suæ Præpositoris ac Magistris, quales Apostoli futuri erant, huc Spiritum veritatis, qui doceret eos omnem veritatem, promisit Christus. Illi habent hoc donum Spiritus Dei, ut alios doceant suggestente Spiritu sancto ut sint idonei ministri nostrorum testamentii, non litera sed Spiritu: ut sint Pastores ac Doctores in adiunctionem corporis Christi, in opus ministerij, &c. Alij habent quoque Spiritum Dei, non ut doceant, sed ut discant, & dociles siant discipuli veritatis, obediendo Præpositis animarum suarum, & subiacendo illis. Anabaptistæ & Libertini nec hoc Spiritus donum habere volunt, ut Ecclesiam Dei audiant, nec aliud donum Spiritus habere possunt, quia Ecclesiarum Pastores non sunt, sed a tota Dei Ecclesia alii & extores.

Concludit tandem Calvinus. *Atqui (inquit) impostor iste spiritus, non Christi, qui extraneum aliquid ab Euangelio com-*

*2. Cor. 3.*

*Ephes. 4.*

*Hebr. 13.*

mentum ingerit. Verissimum hoc est, si extranei commenti vocabulo, dogma Euangelio contrarium & repugnans intellegimus: quo nomine maximus impostor Caluinus est, qui in tam multis iam à nobis refutatis, extranea ab Euangelio commenta in his suis quos vocat commentariis ingessit. At extranei commenti vocabulo quid intelligi velit Caluinus, postremum nunc quod sequitur, demonstrat. *Spiritum enim Spiritum* (inquit) *Christus promisit, qui Euangely doctrinam quasi sanctū iterum subscriptor confirmet: id est, qui ita Euangelio subscriptibit, ut rū restrin-* nihil aliud doceat aut suggerat quām quod Christus in Euā-*git Calui-* gelio ore docuit. Hunc enim esse Caluinī sensum, antegressa *nus.*  
*Caluinus*  
*ex suuver-*  
*nus, extraneum commentum est, quod nunquam Christus hū impos-*  
*ore docuit, vt iterum impostorem esse Caluinum, Caluinī s̄tor proba-*  
*verba conuincant. Nulla quippe Scriptura docet Spiritum à tur.*  
*Christo promissum, vt Euangely doctrinam quasi subscriptor*  
*confirmet. Hęc, inquam, subscriptio & confirmatio Euan-*  
*gelicæ doctriñæ, quam Spiritus sanctus facere debet, iu Scriptura non legitur. Commentum hoc cerebri Caluiniani ex-*  
*trancum est, etiam eo in loco vbi contra extranea commen-*  
*ta disputat. Nempe, vt impostorem esse Caluinum, ipse Cal-*  
*uinus prober. Docet Scriptura Euangelica spiritum sanctum*  
*à Christo missum, vt doceret nos omnia, vt doceret omnem*  
*veritatem, vt suggesteret quacunque Christus dixerat. Hoc*  
*Scriptura nos docet. Hic nulla subscriptio, nulla confirma-*  
*tio legitur, ac neque intelligitur vt unicum & totum Spir-*  
*tus sanctus officium. Docet quippe omnem veritatem, sive*  
*in Euangelio comprehensam, sive non; sive à Christo pro-*  
*nunciata, sive non. Qui omnem veritatem docet, ad tex-*  
*tum Euangelicum non restringit. Et ne quis restringi*  
*posse aut debere existimet, diserte dixit Christus se non*  
*omnia docuisse, quia non omnia poterant Apostoli portare: &*  
*omnia docuisse, quia non omnia poterant Apostoli portare: &*  
*addit de Spiritu sancto. Ille vos docebit omnia: cui dubium,*  
*qui ea omnia quæ Christus non docuerat, nec in Euange-*  
*lio, vbi Christi doctrina legitur, continentur? Hoc non est*  
*Euangelio subscribere, sed hoc est alia præter Euangeliū do-*  
*cere: hoc non est quæ solum Euangeliū habet confirmare, sed*  
*hoc est alia quæ Euangelium tacuit reuelare. Alia dico, quia*  
*plura, quia diuersa, quia explicatoria, non quia contraria aut*  
*repugnantia. Sanè quatenus suggestit, & in memoria reuocat*  
*quæcumque Christus docuit, catenus Euangelicæ doctrinæ*  
*à Christo traditæ subscriptibit, cāmque confirmat; sed quatenus*  
*docet*

docet omnem veritatem, adeoque ea quæ Christus non docuit, multò latius eius officium patet quam ut Euangelij doctrinam quasi subscriptor confirmet. Ausus fuit Calvinus ipsi Spiritui sancto compedes iniicere, eiisque officium ac munus certis limitibus à se inuentis constringere. Quid nūc miramur si toti Ecclesiaz compedes iniiciat, eiisque doctrinam ad certos fines à se suisque adimetros cōstringit? Hæc huius impostoris venenata doctrina est, qua diuinæ Scripturæ fluenta purissima contaminauit.

## IN IOANNIS CAP. XV.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet Pater meus.*

Bonorum  
operum ne-  
cessitas ad  
salutem.

**L**ocus hic insignis ac perspicuus est pro bonorum operum necessitate in quolibet credente. Palmes in Christo, id est, Christo veræ viti inhærens noua est, nisi qui iam per fidem Christo vnitus est. Incorporamur Christo per baptismum, qui est Sacramentum fidei. *Omnem palmitem in me*, ait Christus, id est, omnem hominem mihi iam per fidem nominis mei insitum & incorporatum. Rursum nisi iam per fidem insitus & vnitus Christo esset, de quo loquitur, dici non posset, *tollet eum*. Neque enim tollitur aut resecatur à vite vllus palmes, nisi qui iam prius in vite erat. Dicit autem Christus, omnem huiusmodi palmitem iam ipsi per fidem vnitum, insitum, & incorporatum, *non ferentem fructum*, iustitiae videlicet ac sanctitatis, *tollet eum Pater meus*, id est, illum à meo corpore separabit, & ponet sortem eius cum impiis. Est igitur cuilibet in Christum credenti, ut in Christo maneat, fructus bonorum operum necessarius, nec absque illo fructu fides salvare potest. Qui enim à Christo tollitur (ut infra Christus dicit) mittitur foras, arescit, in ignem mittiur, & ardet. Annotauit ex his verbis doctrinam hanc optimus huius Euangelii interpres Cyrus Alexandrinus. Qui (inquit) per fidem Christi 14. in Ioā. sibi solummodo coniungitur, sola illi confessione inherentes, nisi charitatis vimine se colligantes, palmites quidem sunt, sed non fructuosi. Nam fides absque operibus mortua quadam res. Sic & hanc parabolam exposuit Basilius, elegantissime docens quot modis humana anima quasi palmes in vite frumentorum. Cificare debeat.

Dccc